



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. IX. De Melchitis, seu Graecis schismaticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

chiepiscopus residere in æde ac monasterio
Abbaranensi, quod diei vnius spatio à Nexi-
uano distat. Fuit autem Nexiuaniensis basi-
lica cathedralis, S. Thomæ Apostolo sacra.
Ad cuius Ecclesiæ Archiepiscopatum à Cle-
mète VIII. anno M. D.C.IV.promotus est
Azarias Fridonius, natione Armenus, Ordi-
nis S. Dominici , qui confirmationis obti-
nendæ caussa ex Armenia in Vrbem vene-
rat.Nexiuani pòrrò situm est in Armenia
maiore, sub ditione Persarum.

C A P V T I X.

DE MELCHITIS, SEV GRAECIS
Schismaticis.

Melchitæ dicuntur à vocabulo *Me-*
lech, quod Regem seu Principem
sonat, eò quòd isti in negotio Reli-
gionis olim soliti sint sequi exemplum &
auctoritatem Imperatorum Constantino-
politanorum. Huius generis sunt Græci o-
mnes, qui per Asiam ritus Græcorum ob-
seruant, quique Patriarchis Constatinopo-
litano, Antiocheno, Alexandrino & Iero-
solymitano parent. Ex his Antiochenus nō
Antiochiæ, sed Damasci residet.

Quatuor isti Patriarchæ, ut vocant, Mel-
chitæ solent ab Episcopis prouinciarum

150 DE STATV RELIG. CHRIST.

eligi, & à Turcarum Imperatore confirmari, vt suprà lib. I. capite 57. diximus. Ij Metropolitanos & Episcopos sibi subditos creant: vt ceteri ferè omnes Patriarchæ nationum Orientalium,

Sunt autem omnes isti Melchitæ Antistites, tam Patriarchæ quam Episcopi, Ordinis S. Basili j monachi, adeoque cœlibes. Cuius quidē instituti monasteria per Græciam totumque Orientem sunt longè plurima; inter quæ eminent cœnobia S. Sabæ in Ierusalem, & S. Catharinæ in Sina monte Arabiæ, itemque Montis Athos, quem Sanctum vocant.

Melchitæ porrò infecti sunt vetustis Græcorum erroribus, quos Concilium Florentinum aliaque damnarunt: & constituant nationem longè numerosissimam inter omnes Christianas Orientales. Occupant enim non modò Græciam, sed etiam Asiam minorem, Syriam, AEGyptum, vicinasque Provincias.

Solent etiam inter Melchitas numerari Georgiani, Mingrelli, Circassij, & alij populi.